

*motb. I.) vel alteri alicui, per Spiritum Sanctum de Timotheo significatum est, quam ille sit futurus eximius Evangelii praeo & organon electum DEI & strenuus miles JESU Christi. Et huc videtur respicere in comment. ad 1. Cor. XII. pag. 430. quando dicit, quod etiam dono prophetiae valuerint in N. T. Apostoli (1. Thess. II. 1. Timoth. IV. 2. Timoth. III. 2. Petr. II. 1. Job. II.) & quidam alii Act. II. & 20. D. Balduinus per Prophetiam intelligit monita Seniorum, quibus, cum ordinaretur, ministerium ei fuit commissum, & quae ipsum instruebant, quænam dona, quæ virtutes in opere tam sancto requirentur.*

§. XVII.

**TERTIUM MEMBRUM** est *medium*, quod est ἐπίθεσις τῶν χειρῶν, per quam olim ab Apostolis conferebantur miraculosa dona. *Matthæus Gothus in Syntagm. Theolog. lib. 3. stat. 3. loc. 6.* Ea usi sunt loco insufflationis Christi, indicantes: (1) Dari ministerio ritum liberum. (2) Dari discrimen quoddam inter Christi & Apostolorum vocationem. *D. Gerb. Tom. 6. art. de ministr. eccles. cap. 3. sect. 12. §. 159. pag. 265.* Varie usurpata fuit manuum impositio in V. T.

1. In designatione vocationis Josuæ. *Num. XXVII, 18. Deut. XXXIV, 9.*

2. In destinatione sacrificorum ad cultum divinum. *Lev. I, 4.*

3. In consequenda divina gratia & benedictione, ut Jacob imponit manum pueris, quibus benedicit. *Gen. XLVIII, 14.*

4. Levitæ imponebant manus jussu divino super Levitas. *Num. VIII, 10. D. Chemnit. in Exam. Conc. Trident. P. 2. c. 3. de sacram. Ordinis p. 267.* In Novo Testamento itidem varie

varie